

םלועל *Porta Sacerdotis* & *Porta Hbuldab*, non destruenda erant unquam, donec renovaturus sit eas Deus. Quæ suspicionem nostram auget, nomen ׀לועל *Hbuldab* ab ׀לעל *Hbeled* deduci, quæ *Tempus* & *Ævum* denotat, ob conceptam de eâ æviternitatem, & vocem, Ὁραίαν hoc in loco talem significatum amplecti, q. d. *Porta temporis*. Et fortè *Porta Sacerdotis*, erat & altera *Porta Hbuldab*, ob conceptam de eâ eandem durationem: nam duæ erant *Portæ* istius nominis à latere atrii meridionali, ut diximus antè.

VERS. 19. Ὡπως ἂν ἔλθωσι καὶ εἰς ἀναψύξεως.

Inscitiam meam in lingvâ Græcâ forsan proderem, si faterer me non assequi, quâ lingvæ istius autoritate doctissimi Interpretes reddiderint, vel, *ut cum venerint*, ut Vulg. Erasmi. & Interlin. vel *cum venerint*, ut Angl. Gallic. Ital. vel *Postquam venerint*, ut Beza. At non pudet liberè fateri, me non assequi, quâ ratione? cum optimè conveniat cum idiomate lingvæ, si vertatur, *Ut veniant*.

Psal. 9, 15. Ὡπως ἂν ἐξαγγελίω. Hebr. ׀לועל ׀לועל *Ut annuntiem*.

Psal. 92, 8. Ὡπως ἂν ἐξολοθῶσιν. Hebr. ׀לועל ׀לועל *Ut exterminentur*.

Psal. 119, 101: Ὡπως ἂν φυλάξω. Hebr. ׀לועל ׀לועל *Ut custodiam*.

Act. 15, 17. Ὡπως ἂν ἐκζητήσωσι, *ut requirant*.

Et sic hoc in loco. Resipiscite igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Ὡπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii, & mittat Deus vobis Jesum Christum*.

Verba hæc ultima: *Et mittat vobis Jesum*, difficultatem pariunt hoc in loco, atq; ut videtur, varietatem istam versionum pepererunt. Et quomodo ea applicent Chiliastræ, fatis notum. At quid plenius & planius dici potuit, si admittatur interpretatio nostra, ut respondeatur conceptibus auditorum, ad ea, quæ Petrus dixerat, objecturis. Itane? num Jesus iste, quem crucifiximus, verus Christus? Tùm evanuit spes omnis refrigerationis per Messiam, cum Messias ipse sic evanuerit. Tùm conclamatum est de expectatione consolationis Israël, cum ita conclamatum sit de eò, qui consolaretur.

Non ita, inquit Petrus, sed vobis pœnitentibus reddetur Messias &

as &